


Georg Mejer   Lorenz Langclaus


## **Disputatio V. Collegii Metaphysici : De Entis Principiis**

Rostochii: Myliandrus, 1610

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729120414>**

Druck   Freier  Zugang







51

R. U. phil. 1609. 10.


12 gyl.

35 1717











DISPUTATIO V.  
COLLEGII METAPHYSICI  
DE  
ENTIS PRIN-  
CIPIIIS.

Quam  
AUSPICE CHRISTO  
*In alma Rosarum Academia*

PRÆSIDE  
M. GEORGIO MEIERO  
Duderstad. Sax.

*Defendendam suscipiet*  
LAURENTIUS LANGCLAUS  
Gultroviens. Megapol.

*Ad diem 12. Septemb. horis pomeridianis.*

---

ROSTOCHII  
Ex Typographia Stephani Myliandri  
Anno c15 15 CX.



**MAZOOZMAZOOZMAZOOZ**

**CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMO, omnique virtute & eruditionis laude  
conspicuo viro,**

**Dn. IOHANNI KRULLEN,**  
Philosophiæ & Medicinæ Doctori eximio:

**NEC NON**

*Speculatissimo, singulari prudentia, autoritate,  
eruditione, multoque rerum usu & experi-  
entia peritissimo viro,*

**Dn. IOACHIMO SCHULTZEN,**  
celeberrimæ reipub: Rostochiensis Senatori  
vigilantissimo, dignissimo:

**QUIN ETIAM,**

*Ornatissimo, doctissimo, humanissimoque  
viro-juveni,*

**Dn. IOHANNI KELLERMANNO,**  
Notario apud Gultrovienses publico:

*Dominis Mecænatibus, patronis ac fautoribus suis debito obser-  
vantia cultu honorandis ἄσκημα hoc φιλοσφικόν, sin-  
gularis observantia, & grati animi symbolum,*

do

dico

confecero

Laurentius Langclaus, Resp.





# DE PRINCIPIIS ENTIS.

## Theorema I.

Vox principij ambigua est.

**D**e Ente actum fuit. Non vero ab hoc statim ad affectiones ejus omisſis principijs, quod pleriq; faciunt, tranſeundum eſt. Scientia n. cum ſit Metaphyſica, quis eam jure principijs ſpoliare poterit? Ex his cum omnis noſtra cognitio, fallax modo ſi non ſit, pendet, placet eorundem conſiderationem hic ſuſcipere.

II. Quia v. in omni legitima & methodica pertractatione ſemper vocū ambiguitas tollenda prius eſt, quā definiatur, ne in varias, quas parere ſolet ambiguitas, errores incidamus, hic quib. reb. vox principij tribui ſoleat, indicabimus. Tribuitur primò rei alicujus termino. Sic terminus ſive infima pars ſcala principium eſt ſcala. Tribuitur deinde reb. quæ vel ordine natura, temporis, aut dignitatis præcedunt. Sic pater eſt principium filij, aurora diei, Rex ſubditorū. Præterea propoſitionib; tribuitur generaliffimis illis, à quibus cognitionis fit initium, unde etiam principia cognoscendi dicuntur. Merentur inſuper nomen principij, quæcunq; ad productionem effectorum extrinſecus aliquid conferunt, ut ſunt cauſa efficiens & finis. Tandem quæ intrinſecus ad productionem effectorum aliquid conferunt, ut ſunt forma & materia in Phyſica,



quibus respondent actus & potentia in Metaphysica. Hac sunt  
accepciones vocis principij, è quibus tertia & ultima presenti ne-  
gotio maximè inserviunt.

### Theorema II.

Principium est id primum unde aliquid  
aut est, aut fit, aut cognoscitur. *Arist lib. 5.  
Metaph. c. 1.*

Principium quia nihil se prius habet, neq. etiam definiri pro-  
priè poterit, sed saltem describi. Cognitio enim principiorum per  
aliam causam comparari nequit, propterea quod fundamentum il-  
lud sint, in quo omnis intellectus humani cogitatio & discursus  
tandem desinit & quiescit, aliàs enim daretur progressus in infi-  
nitum. Hùc respexit Philosophus quando dicit, omnem doctri-  
nam & institutionem è præexistente quadam cognitione profici-  
sci. Complectitur autem descriptio principij à nobis posita, ut ipsa  
verba innuunt, tam essendi quam cognoscendi principia, de qui-  
bus prolixius in sequentibus.

### Theorema III.

Sunt itaq; duùm generum principia: quæ-  
dam essendi, quædam cognoscendi.

Illæ prius sese nihil habent è quo sunt: hæc vero ex illis ori-  
untur & existunt. Respiciunt enim principia cognoscendi ea  
quæ essendi dicuntur, quemadmodum res ipsas conceptus sive no-  
tio. Suntq; cognoscendi principia nihil aliud quam proposi-  
tiones, quæ è rebus ipsis mentis beneficio sunt extractæ. Essen-  
di vero principia non sunt propositiones ipsæ, sed res extra  
intellectum, quæ ipsam propositionum materiam suppeditant.  
Perquàm vero necessaria hæc principiorum est distinctio. Quia  
nihil in scientiis dari potest, quod cognitionem suam è principijs  
istis non



istis non accipiat. In *Physicis* illud evidentissimum est: *Corporum* quidem ipsorum principia essendi sunt *materia & forma*, è quibus omnia componuntur, *accidentium vero sive affectionum Physicarum saltem sunt cognoscendi principia*, utpote qua ex hisce probantur & demonstrantur: *Accidentia enim & corpora ipsa eodem modo è principis illis minimè constant*, quandoquidem *natura non primà intentione accidens*, sed *corpus ipsum generat & producit*: illud vero hujus generationem necessariò consequitur.

#### Theorema IV.

Principia cognoscendi sunt triplicia: axiomata, definitiones & postulata.

I. Cognoscendi principia quia sunt faciliora nobisq; notiora, essendi principis præmittimus. A facilioribus enim & notioribus esse initium faciendum præcipit lex methodi.

II. Axiomata autem sive principia communia, quæ aliàs dignitates appellantur, sunt propositiones quæ confestim ubi audiuntur, apud omnes fide sunt dignissima. Hujus generis sunt: Totum majus est qualibet suâ parte: Aequalibus si addas aequalia, tota remanebunt aequalia &c. Usus horum principiorum communium est in omnibus disciplinis sive scientijs, si tamen ad certam aliquam materiam restringantur. Nam cum scientia omnis constare debeat principijs proprijs, primis & immediatis: nõ nisi restricta principia illa cõmunia usum in scientijs habent. E.g. Principiũ hoc: Totum est majus qualibet suâ parte, si generativè accipiat, nulli inferiorum scientiarum propriè quadrat: ad certam vero materiam sive subjectum si restringatur, in scientiam ingreditur. Ex hoc enim Geometra probat, magnitudinem esse majorem aliquâ ejusdem parte: similiter Arithmeticus, numerum totum esse majorem partibus numeri.

III. Definitiones, quæ aliàs principia propria dicuntur, eò quod non communiter omnibus, sed uni accommodentur scientiæ, dicuntur



antur, quæ subjectum scientiæ sive demonstrationis, vel partem aliquam eius subjecti, quid sit, explicant. Sic apud Euclidem sunt definitiones puncti, superficiæ, lineæ, anguli &c. In Physicis definitiones materia primæ, formæ, naturæ &c. Hæ enim præcognita principiorum vice in illa scientiâ, cuius sunt, funguntur.

IV. Postulata Græcis αἰτιῶν, quibus æquipollent ἑπιπέσεις sive suppositiones, vocantur, quæ nobis ab alijs conceduntur, sive quæ ut concessa accipiuntur, sic postulat sibi dari propositiones aliquas Geometra, è quibus reliqua sua probet & demonstret.

#### Theorema V.

Inter cognoscendi principia hoc primum est: Impossibile est, idem simul esse, & non esse. Arist. lib 4. Metaph. c. 3.

Sunt quidem plurima axiomata, sed ita inter se affecta, ut inter ea, respectu cognitionis detur subordinatio: Ea autem omnia ad unum aliquod primum revocari debent, cum intellectus noster à progressionem in infinitum abhorreat. Est vero omnium axiomatum primum: Impossibile est idem simul esse, & non esse: quia contradictoriè invicem opponuntur Esse & non esse, unde natum, & illud: Contradictoria non possunt simul esse vera, aut falsa: sed unum necessariò verum, alterum falsum. Hoc adè manifestum est apud omnes (siquidem ex ipso naturæ lumine id haustum accepimus) ut in dubium à nemine, qui modo sana mentis est compos, vocari possit. Primum hoc esse principium probat. Svaræ hoc syllogismo: Illud principium primum rectè vocatur, à quo sumit firmitatem tota humana scientiâ: Sed hujusmodi est prædictum principium: quia ex illo non solum conclusiones, sed prima etiam principia demonstrantur, disp. 3. sect. 3. dist. 9.

#### Theorema VI.

Essendi principia in Metaphysicis sunt actus & potentia. I. De



I. De cognoscendi principiis haecenus actum est, Essendi sequuntur, actus nimirum & potentia. Actus est principium, à quo omne Ens finitum esse suum recipit certum ac determinatum. Potentia principium transmutationis vocari potest: Nam hic exactas definitiones tradere non possumus, ideoq; qualitercunq; rem describimus.

II. Notandum vero hic bene venit, hujuscemodi principia Enti infinito & finito minimè esse communia, sed saltem tanquam principia cognoscendi ad Ens infinitum, Deum videlicet referri. Quis enim sine insigni blasphemia Deo tribuere potest Essendi principia, è quibus sit compositus? Est Deus Ens primum, simplicissimum, omnis simpliciter compositionis expers. Et vocatur actus purissimus, non quod actus Dei sit principium, ut in Ente finito & creato, sed ut innuatnr summa ipsius perfectio. Vocatur Ens infinita potentia, non quod potentia sit principium Dei, sed ut virtus ejus infinita aliquo modo adumbretur. Est siquidem in Deo non potentia passiva, ut in Ente finito, sed activa tantum infinitis modis vim agendi naturalem excedens.

### Theorema VII.

Constat itaq; omne Ens finitum ex actu & potentia, ex ijsq; veluti est compositum.

I. Compositionem intelligimus non Physicam, quâ aliquid componitur ex materia & forma: sed Metaphysicam, quâ quidem non ex materia & forma, sed actu & potentia quicquâ componi dicitur. Licet namq; materia & forma non sint principia intrinseca Entis, sed corporis tantum: reperitur tamen in Ente quoddam analogum materia & formæ, quod potentiam & actum appellamus. Sic quodlibet Ens finitum, etiam spiritus ex actu & potentia constare asserimus, assertionisq; nostræ ad stipulatorem habemus diuinum illum natura venatorem Fulvium Scaligerum exerc. 359 sect. 2. ubi in hæc verba erumpit: Intelligentia siue angelus est



gelus est actus, sed non actus purus: Solus enim Deus est causa sine causa, & Ens absq; Ente, mera namq; essentia. Intelligentia vero tamen non est composita ex materia & forma tamen constat ex aliquo tanquam potentia, & aliquo tanquam actu. Et simul potentiam illam & actum definit inquiring: Potentiam dicimus ejus esse: actum vero ejus essentiam Est autem essentia, quâ est id, quod est: Esse vero ejus est receptivitas essentia.

II. Nec autoritate solum: sed etiam rationibus damus sententiam nostram munitam. Sic enim colligimus: 1. Si solus Deus est ens simplicissimum, sequitur infallibiliter, quod reliqua Entia omnia, quæ sunt sub Deo, sint composita. Atqui verum est antecedens: Nam et si in Entibus finitis certi dantur gradus, ita ut unum altero sit simplicius: omnia tamen si ad Deum referantur, composita dicantur. Et omnino necessum est, ut in Entibus ad unum tandem Ens simplicissimum deveniamus, quod simpliciter & absolutè omnis compositionis sit expers, quale est solus Deus. E. 2. Quicquid in se habet potentiam passivam seu principium transmutationis, illud est compositum: potentia enim passiva compositionem arguit, & non nisi in compositis reperitur. Atqui omne Ens finitum in se habet potentiam passivam seu principium transmutationis: Si enim daretur Ens finitum, quod prorsus omnis potentia passiva esset expers, esset illud Deus: nam in solo Deo potentia tantum reperitur activa, non passiva: Imò sequeretur, Ens illud Deo resistere posse: nam quicquid ἀπὸ τῶς nulli passioni est subjectum, illud omni agenti resistere potest. Quid, laboraret hac ratione ipsa omnipotentia divina, quippe quæ non posset id, quod ex nihilo creavit, vicissim destruere, si vellet, & in nihilum redigere, quod qui statuunt, in Deum impij sunt. Qui enim ex nihilo potuit creare aliquid, is etiam illud ipsum, quod creavit, in nihilum redigere potest, si vult. Si ergo Deus hoc potest, Ens creatum in se potentiam passivam habeat, secundum quam potentia Dei activa sit subjectum, necessum est. Hinc Scaliger: Ergo



Ergo ipsa quoque mentes immateriales, prout à principio (Deum intellige) pendunt, à primi nutu deponi possunt ab ea essentia, in qua sunt ab illo constituta. Si enim non possent, haberent in se aliud principium resistendi illius infinitati, exer. 307. sect. 20. E. 3. Quicquid suâ naturâ est corruptibile, illud compositum est. Quemadmodum enim omne compositum suâ naturâ corruptibile est: sic omne corruptibile compositum. Hinc Deus rectè propterea dicitur non corruptibilis, quod non sit compositus. Atqui omne Ens finitum suâ naturâ est corruptibile. Sed quomodo inquires, minor probatur? Audiamus praeceptorem nostrum Scaligerum admodum acutè loco jam cit. hac de re disserentem. Omne quod est, inquit, aut est primum principium, aut à primo principio. Unum est primum, alia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia, prater unum, corruptibilia. At omne dependens ab eo, à quo dependet, si est voluntarium principium, mutari potest. Audis ergo quod mutabilitatis istius sive corruptibilitatis causam quarat in dependentia illa, quâ omnia Entia finita à primo principio, quod est Deus, dependere dicuntur. Sed ulterius insurgis: Non tamen omnia corrumpuntur. Respondet idem Scaliger ibidem: Non corrumpuntur, quia Deus non vult. Et paulo superius: Non necessariò omnia, quae creata sunt, intereunt. Quid dicit Scaliger? sibi metipsum est contrarius, qui modo omnia Entia à Deo dependentia corruptibilia proclamabat: nunc vero non omnia corrumpi asserit? Minimè gentium. Omnium Entium corruptibilitatem statuit, si naturam & conditionem ipsorum respicias: non omnium vero si voluntatem divinam. Est praterea aliud corruptibile esse: aliud actu corrumpi. Non omne quod corruptibile est, statim actu corrumpitur. Nam à potentia ad actum: vel ut Logici loquuntur: à posse ad esse non valet illatio. Declaratur hoc exemplo. Caelum est corruptibile: quia constat, ex materia & forma: Omne autem illud, quod ex materia & forma conflatum est, corruptibile est: neque tamen caelum actu corrumpitur, duravit enim aliquot mille annos, & in



omnem aternitatem illasum & incorruptum maneret, ni Deo aliquando, in novissimo videlicet die, illud destrueret. Quod autem angeli & anima nostra nullam corruptionem unquam visura sint, hoc ipsum non habent ex sese, sed gratiâ divinâ, cui id in solidum acceptum est ferendum.

III. Licet autem omnia Entia finita consistant ex actu & potentia: tamen quadam illorum plus actus minusq; potentia: alia plus potentia suâ essentiâ continent: Est enim in rebus materiatis plus potentia, quàm immateriatis, ideoq; propter hanc compositionis diversitatem spiritus corpore quoad excellentiam & dignitatem multò est superior.

### Theorema IIX.

#### Actus multipliciter dividitur.

Est enim actus alius essentia, alius existentia, alius Entitativus. Essentia actus est, qui totam & completam rei essentiam constituit: Existentia actus, qui essentiam sic constitutam insequitur. Entitativus, qui rem ponit extra nihil. Priores duo Entibus perfectis & completis tribuuntur: posterior Entibus incompletis. Sic materia prima dicitur habere actum Entitativum. Deinde actus est vel primus, vel secundus. Ille dicitur rei forma: hic forma operatio. Actus primus est vel purus vel impurus. Ille est extra materiam: hic vero materia immersus. Actus purus rursus dividi solet in purum & purissimum. Actus purissimus solus dicitur Deus: Purus vero spiritus finitus. Et hinc etiam probari potest spiritum potentia passiva aliquid sibi admixtum habere, & ob id non simpliciter omnis compositionis expertem esse. Dicitur enim purus non respectu Dei, sed tantummodo rerum materiatarum. Simples ergo dicuntur, quia non constant ex materia & forma: Compositi quia constant ex actu & potentia, & sunt quoad simplicitatem & puritatem Deo inferiores.

Theo.



### Theorema IX.

Similiter potentia varijs modis dividitur.

I. Communissima est potentia in activam, passivam & Logicam, quam vocant secundum non repugnantiam terminorum, distinctio. Activa potentia est ἡ δεξιη μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ αὐτῷ. Aristot. lib. 9. Metaphysic. cap 1. Et est vel infinita, vel finita. Infinita solius est Dei, qua est vel absoluta vel ordinata. Absoluta Dei potentia nullo habitu respectu ad aliquod attributum divinum consideratur, & secundum hanc Deus omnia facere potest, quacumq; impotentiam & contradictionem excludunt: Nam Deus non potest injustitiam facere: Si enim posset, non potens, sed impotens esset, quia peccare non potentia, sed impotentia est & infirmitatis. Similiter si Deus ea posset, qua contradictionem implicant, sibi ipsi esset contrarius: Nam unum contradictorium alterum semper falsitatis arguit. In Deo autem falsitatem ponere magna est impietatis. In Deo ponere duo contradictoria, est mendacium in Deo ponere, ut rectissime infert Cornelius Martini in comp. Met. pag 41 Colligitur inde impossibile Dei potentissimum esse. Quid enim potentius est, quam nescire quicquid infirmitatis est? Impossibile est Deo, non quod virtuti est arduum, sed quod natura ejus contrarium. Potentia Dei ordinata dicitur, qua semper in respectu ad certum aliquod ejus attributum consideratur. Secundum hanc potentiam Deus non ea potest, qua secundum absolutam. E. g. secundum potentiam absolutam posset Deus omni peccatori, etiam penitentiam agenti veniam denegare, sed considerata sua misericordia hoc non potest. Hac de potentia activa infinita. Sequitur finita, qua est vel rationalis vel naturalis. Illa habet se indifferenter ad utramq; contradictionis partem, & est in homine: hac vero ad unam tantum est determinata, & est in brutis & rebus etiam inanimatis.

II. Potentia passiva est ἡ ἐν αὐτῷ τῷ πάσχοντι ἀρχὴ μεταβολῆς



ἄλλοις περὶ τῆς ἰσότητος ἢ ἀλλοῦ. Arist. lib. 9. Met. cap. 1. Et dividitur in naturalem & obedientialem. Illa ab agente naturali in actum deducitur: Hac non naturaliter, sed prater naturam à principio externo in actum deducitur. Et est iterum duplex: una subiecta est virtuti Dei, altera virtuti artificis. Secundum illam res omnes nata sunt obedire actioni divina in fieri, ut loquuntur. Sic ex lapide potentia obedientiali eâ, qua Deum respicit, potest fieri panis: Secundum hanc res quadam nata sunt obedire artifici. Sic in ligno est potentia obedientialis, ut ex eo possit fieri Mercurius, vel aliud quoddam simulacrum.

III. Potentia deniq; Logica est, qua non realem aut positivam, ipsiusq; rebus per naturam insitam facultatem, sed solum coherentiam & non repugnantiam terminorum subinfert, unde non tam in rebus ipsis, quam compositione mentis consistit. Consultatur Armandus de Bello Visu, qui satis copiose hac de materia scripsit tract. 2. de transcend. cap. 8. & seqq.

### COROLLARIA.

I.  
An prima & generalia principia rectè ad Metaphysicam referantur? A.

II.  
An actus essentia differat ab actu existentia realiter? N.

III.  
An potentia transcendentalis sit qualitas? N.


IV.  
An detur potentia aliqua objectiva distincta ab activa & passiva? N.

V.  
An potentia resistendi constituat speciem peculiarem ab activa & passiva distinctam. N.





















306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione effectus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document